



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber dissencionum archiepiscopi Coloniensis et Capituli Paderbornensis

Dietrich <von Engelsheim>

Münster, [1893-1897]

11. De quesitis dominis per capitulum pro adiutorio et defensione
obtinenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54427](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54427)

dampno et gravamine, sic quod circa mille florenos pre
formidine consumpserunt, ultra centum equos et totidem
homines ibi secum pabulando, necessaria eis ministrando.

11. Deductis omnibus premissis ad talem finem, ut est
premonstratum, tunc domini, prepositus, decanus et
capitulum ecclesie Paderbornensis de tunc per domi-
num Coloniensem ordinatis et dispositis elicere aliud
non poterant, quam quod ipsos cum violenta manu
armata invadere voluisset. Sic confisi de iusticia et
innocentia pre oculis habuerunt dictum prophete David,
ubi inquit: „Non prevalet¹⁾ bonis, qui ambulant in
„innocentia, beatus homo, qui sperat in te.“ (Psalmus 83,
„Quam dilecta.“) „Sic sperantes in deum, qui malignantes
„exterminabit,“ (Psalmus 36, „Noli emulari.“) se disposu-
erunt ad repellendam vim vi et iniustis impetitionibus
cum iustitia obviare. Et tunc statim dominum Ottonem,
canonicum, et Ravenonem de Ripen, beneficiatum ecclesie
eiusdem, ad Serenissimum principem Sigismundum,
Romanorum imperatorem, tunc in Nurenberg consti-
tutum destinarunt, instructos, de cuius preiudicio etenim
agebatur, auxilium querendo. Qui ibidem circa CCC
florenos Renenses consumpserunt et penitus nichil re-
portarunt. Miserunt tunc ad reverendissimum domi-
num Conradum, natum comitem de Rinecke, archiepis-
copum Moguntinum, ipsum in adiutorium invocando;
qui nichil iuvare poterat ex eo, quod suum consensum
sine sui capituli consensu domino nostro Coloniensi
adhibuit ad talem detestabilem incorporationem et uni-
onem sepe nominatam impetrandam. Qui tunc statim
1434 in anno tunc sequenti M^oCCCCXXXIII^o viam carnis
universe de mense Augusti intravit. Cui statim tunc

¹⁾ unrichtig citirt statt privabit.

dominus reverendissimus Theodericus, natus nobilis Schenke de Erpach in episcopatu successit, qui strenue cause prefate usque ad ultimum fuit notabiliter tam in iudicio quam extra defensor et propugnator. Cui deus sit propitius et eternaliter retribuatur, quod sic suam et ecclesiam Paderbornensem, suam filiam suffraganiam, in suis libertatibus et iuribus conservavit. Memorata dissensione deteriorata et durante, sub annis domini M^oCCCCXXXII in mense Junii venit illustris princeps 1432 Adolffus, dux Julie necnon Montensis, comes Ravensbergensis, cum magno apparatu et bene ducentis equis ad nominatum comitatum suum Ravensbergensem. Qui quidem mensibus tribus ibidem cum maximis expensis honorificentis operositate hastiludendo, curisando¹⁾ et alia, prout status suus requisierat, et numerosa ultra ibidem quidem continuis diebus commiserat. Quod cum capitulum primo perceperat, ipsi ad eum destinarunt pre-nominatos eorum, prepositum, decanum et scolasticum cum solempni propina; quos multum solempniter et gratiose suscepit et tractavit. Qui querulosa sibi omnia memorata rescitarunt²⁾ et ab eo auxilium, consilium et suam gratiam petierunt attentis hiis, quod duos fratres episcopos sue ecclesie habuisset, et ipsi tres sui et suorum vasalli, consilarii et capellani existerent. Ad que bona deliberatione prehabita respondit, quod ipse vellet eis assistere verbo et opere, et consilia, in quantum posset, saniora ministrare, viceversa multas querelas de eodem nostro domino ipsis proponens, in quibus pro tunc discordarunt. Et sic ita consuluit, ex quo ex propriis denuntiis³⁾ ecclesiam ab administracione per novam impetrationem reliquerit, ut etiam ad elec-

¹⁾ Corruptum aus chorizare, „Reigentänze halten“. Hinter curisando ist solempnia zu ergänzen.

²⁾ Für recitarunt. ³⁾ „Erklärung“.

tionem episcopi domini procederent; quem eligerent, talem ipse propriis expensis vellet intronisare, illum tueri et defendere et talem operam dare tam in partibus Reni, quam hic in Westphalia, quod electum libenter in possessione pacifica non deberet molestare; et ita consuluit, ut unum de capitulo aut prepositum aut decanum reciperent, adiecitque, si dominus castrum Lipspringe obsideret, quod ipse vellet dominorum et suorum amicorum iuvamine obsidentes amovere. Sic statim pro illo insteterunt et prefatum dominum prepositum in episcopum eligere voluerunt, eorum speciales¹⁾ circa eos convocantes. Et interim erat ordinatum,²⁾ quod una hora diei tam castrum Dringenberg quam Nienhuss ad manus dicti prepositi traditum fuisset. Qui inanimum³⁾ se de illis intromittere non audebat, sic quod ea de causa premissa tegebantur. Dominus tunc predictus dux suis officiatis, vasallis iniunxit, ut assistentiam in eius absentia capitulo facerent, et qui vellent ad capitulum equitare, eos iuvare et in eorum expensis remanere, tales largiter et gratiose licentiavit. Erat eciam tunc temporis cum illustri domino Ottone, duce Luneborgensi concordatum, sic quod capitulum deberet suas literas patentes obligatorias pro mille florenis Renensibus sibi donandis binis temporibus anni ministrare; sic cum suis vellet eorum coadiutor contra dominum Coloniensem effici. Et si dominus dictus capitulum violenter invasisset, ipsi⁴⁾ potius pro talibus florenis se obligassent, quam suum consensum ad incorporationem et unionem preintensas adhibuissent. Dominus etiam decanus cum reverendo domino Alberto de Hoya, episcopo Mindensi talem concordiam

1) „Die Treuen“. 2) Im Original steht ordinantes, doch dürfte „ordinatum“ zu lesen sein. 3) zu wenig kühn. 4) Die Capitularherrn.

inigit, sic quod ipse vel aliquis fratrum suorum, Otto, tunc electus episcopus Bremensis, aut Ericus, episcopus Osnaburgensis, deberet se de ecclesia Paderbornensi et capitulo intromittere, eandem ecclesiam et capitulum defendere, proloqui et tueri; quod ita usque ad finem cause semper permansit. Ab illo etiam tempore, dum dicta dissensio oriebatur, rexit nobilis dominus Otto de Lippia districtum Lippensem usque ad exitum vite, claudens eandem vitam sub annis domini M^oCCCCXXXIII 1434 in mense Septembri, cuius familiarissimus consiliarius fuit dictus dominus decanus. Qui propter dictam causam erat ratione confederationis inite inter capitulum eum et suos heredes erat monitus et requisitus; quibus consideratis sine mora se submisit, velle dicte confederationi obtemperare¹⁾ cum auxilio opportuno. Sic quod illis aliquoties et sepius domino archiepiscopo detectis et perpensis non ex benevolentia dimisit, quod violenter nichil attemptavit, sed bene elicere potuit, exitum bonum recipere id non velle, sed id in deteriora commutari posse, verisimilius esse presumpsum.

Reverendissimi in Christo patres domini Conradus 12. de Rinecke, archiepiscopus Moguntinus, et Olricus de Mandirscheit, archiepiscopus Treverensis, videntes, diversas dissensiones domino Coloniensi imminere, — extimo²⁾ subordinati³⁾, — certam diem placiti domino Coloniensi et duci Montensi memorato, maxime discordantibus, ad civitatem Coloniensem indixerant, ubi dominus Montensis dominum decanum tamquam ipsius consiliarium invitavit. Qui ibidem ad sui domini postulationem venerat. Dominis igitur ibidem premissis Moguntino et Treverensi, Coloniensi et duce Montensi personaliter consti-

¹⁾ beiständig sein. ²⁾ = existimo. ³⁾ heimlich dazu verordnet.